



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Amor Deiparæ Virginis Mariæ; Petri Antonii Spinelli
Neapol. Societ. Iesv**

**Spinelli, Pietro Antonio
Coloniæ Agrippinæ, 1620**

S. Edmundus Cantuariensis Episcopus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60948](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60948)

VI.

S. EDMUNDVS CANTVA-
riensis Archiepiscopus.

SANCTVS Edmundus Cantuariensis Archiepiscopus, adolescens Dei Genitrici se cōmendans, coram eius imagine castitatis votum nuncupavit, eamq; sibi in sponsam delegit, atque annulum, in quo inscripta erat salutaris Angelica, digito eius infixit: quo ex tempore in suis necessitatibus præsentiſsimam in ea expertus est opem. Quia etiam annulo suo, cum quo post obitum, ut solent Pōtiffices, est sepultus insculpta fuit salutaris Angelica.

In Prato quodam Oxoniæ cum se à sodalibus subduxisset, ne conscientia puritatem nugis puerilibus, vel ociosis sermonibus contaminaret, pueri Iesu visione, ac colloquio est perfruitus, ex quo tempore in eius passione meditando diu noctuque versabatur.

Pueri Iesu colloquio perfruitur
A S. Ioan Quotidie deuotè, ac reuerenter in honorem Deiparæ, & S. Ioannis Euangelicæ precem quandam, cuius initium est: *Deiparam O Intemerata,* &c. recitabat, cumq; propter studiorum occupationem aliquando illius dicendæ oblitus esset, proxima nocte

nocte à S. Ioanne, qui ferula ictum immanem ei prius minitari videbatur, mox blandè admonetur, ne vnquam precationem illam omitteret.

Is cùm artium magister publicè eas disciplinas profiteretur, Missæ sacrum audire, & preces canonicas quodidie recitare solebat, discipulisque suis persuasit, vt cum eo Missæ sacrificio interessent.

In Paræcia, in qua degebat, sacellum in Deiparæ honorem, quam singulari amore colebat, construendum curauit; cumque sacræ Theologiæ operam daret, beatissimæ Virginis imaginem eburneam coram se habebat, in cuius circuitu depictum erat nostræ redemptionis mysterium, vt cum lectione preces ad Deiparam coniungeret.

Sacerdotio initiatus quodidie cū horis canonicis horas sãcti Spiritus, & Deiparæ persoluebat; quibus officium defunctorum adiungere consuevit.

Tandem Cantuariensis Episcopus à Gregor. IX. inuitus creatur, in quo multa molesta à Rege, & Regni Proceribus pro Ecclesiastica libertate tuenda perpessus, demum miraculis clarus excessit è vita, die 16. Nouembris anno salutis 1240.

D

S. BER-